

Metiatur seipsum quisque, nec pulcher-  
 rimum, sed quod aptissimum sit cogitet,  
 sibi atque illud arripiat: Nunc autem a-  
 liena miramur, nostra contemnimus, &  
 inconsulta gloriæ cupidine, non nostris  
 actibus exercemur, ipsi denique vim na-  
 turæ nititur inferre. Minimè igitur mi-  
 rum est, si studiorum nostrorū tales sunt  
 exitus, & de his quidem atque horum si-  
 milibus nihil amplius.

REX INNOMINATUS.

**I**Nter auctore carentia, apud Valerium  
 Innominati Regis dictum ponam, qui  
 oblatum diadema, non confestim super-  
 imponens capiti, cum animo & manibus  
 diutius verfasset, his ad postremum ver-  
 bis usus est: O carum & illustrem potius  
 quam fœlicem pannum, cuius quisquis  
 discrimina curasque & molestias præui-  
 deat, de terra subleuare negligat. Sapiens  
 dictum fateor, sed tum quoque Regem  
 dicerem, quando Historiæ aditum vide-  
 rem, diadema eum cum verbis abiēcisse:  
 Crebri enim sunt regnorum, ac rerum  
 temporalium dominatores, rarissimi  
 contemptores: Nec sine causa dictum  
 reor à Poëta:

*Ande hœspes contemnere opes.*